



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An causæ meri & mixti imperij delegari possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO III.

De causis, qua delegari possunt, & de forma seu modo delegandi.

§. I.

Quæ causæ delegari possunt, vel non?

OMnes illæ causæ, quæ ad ordinariam iurisdictionem delegantis pertinent, delegari ab his possunt, non autem illæ, quæ sunt alienæ iurisdictionis; sicut enim illas, non autem has potest iudicare per se, ita potest illas etiam, non autem has alijs iudicandas ex nomine suo committere, quin imò non tantùm ea, quæ iurisdictionis sunt, sed etiam ea, quæ sunt ordinis, delegari possunt, dummodo is, cui demandantur, competentem ordinem habeat, cum potestas ea exercendi, quæ sunt ordinis, non ex sola verbali commissione, sed ex reali consecratione dependeat.

§. II.

An causæ meri & mixti imperij delegari possint?

QUAMVIS putent aliqui discrimen ali-quod esse inter jus civile, & jus Canonicum, quoad delegationem mixti, & meri imperij causarum, ita ut iuxta sacros Canones velint universim omnes causas utriusque imperij delegari posse, non autem iuxta jus civile, probabilius tamen putant alij, nullum inter utrumque jus discrimen esse, & delegari de jure scripto regulariter non posse meri & mixti imperij causas; delegationem autem, quæ à jure Canonico circa quasdam meri aut mixti

imperij causas fit, specialem tantùm esse, ob specialem aut fidei favorem, aut irregularitatis periculũ concessam. Quidquid tamen sit de iure scripto, hodie ex generali consuetudine indistinctè omnes causæ meri & mixti imperij delegari solent, etiam capitales, ut testantur *Iulius Clarus, Wesenbecius, alique*, ita ut illis etiam, quibus subdelegandi potestas convenit, has omnes sibi delegatas, criminales etiam, subdelegare conveniat, nisi appareat personæ industriam fuisse electam, quam putant aliqui semper in causis criminalibus commissis & delegatis electam, ut in praxi nunquam hæ causæ subdelegari possint, ob earum arduitatem; ex quo capite etiam nunquã censetur, in generali concessione totius iurisdictionis civilis & criminalis etiam cum merito & mixto imperio à Principe facta, eas etiam causas concessas esse, quæ ad primum gradum meri & mixti imperij pertinent, iuxta regulam *iuris 18. in 6.* quæ autem in specie ad utrumque hoc imperium pertineant, infra dicetur, *tit. 31.*

§. III.

De causis delegatis ratione Dignitatis, vel officij, non persone.

UI facta est causarum etiam Summo Pontifici reservatarum commissio, sive voluntariæ, sive contentiosæ iurisdictionis illæ sint, ratione officij sui ordinarij, aut dignitatis, ita ut hæc potestas perpetuò annexa sit officio tali aut dignitati, potest eam nõ tantùm in casibus particularibus, sed generaliter etiam alteri committere, nisi electa fuisset personæ industria; aut magnis adminiculis negotium illud opus habeat, prout sumitur *ex c. ult. de off. iud. ord. junct. gloss. V. casibus*